

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis De Finibvs Bonorvm Et Malorvm Librvm I.
Commentarius Aldi Mannuccij

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



I N
M . TVLLII . CICERONIS
D E . FINIBVS
BONORVM . ET . MALORVM

L I B R V M . I .

Commentarius Aldi Mannuccij



C I C E R O



NON ERAM nescius, Brute, cum, quae summis ingenijs, ex quibusq. doctrina philosophi Graeco sermone tractauissent, ea Latinis litteris mandarem, fore, ut hic noster labor in uarias reprehensiones incurreret. Nam quibusdā, & ijs quidem non admodum indoctis, totum hoc displicet, philosophari. Quidam autem id non totum reprehendunt, si remissius agatur; sed tantum studium, tam multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Erūt etiam, & hi quidem eruditi Graecis litteris, contemnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operā malle consumere. Postremo, aliquos futuros suspicor, qui me ad alias litteras nocent; genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen, & dignitatis nostrae esse negent. Contra quos omnes dicendum breuiter existimo. quamquam philosophiae quidem uituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa, & collaudata est, cum esset accusata, & uituperata ab Hortensio. qui liber cum & tibi probatus uideretur, & ijs, quos ego posse iudicare arbitra-

rer; plura suscepi, ueritus, ne mouere hominum studia uiderer, retinere non posse. Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id uolunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum, coerceri, reprimiq. non potest: ut prope modum iustioribus utamur illis, qui omnino auocent a philosophia, quam ijs, qui rebus infinitis modum constituent, in re, eo meliore, quo maior sit, mediocritatem desiderent. siue enim ad sapientiam perueniri potest: non paranda solum nobis ea, sed fruenda etiam est. siue hoc difficile est: tamen nec modus est ullus inue stigandi ueri, nisi inueneris; & quaerendi defatigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. etenim, si delectamur, cum scribimus: quis est tam inuidus, qui ab ea nos abducatur? sin laboramus: quis est, qui alienae modum statuatur industriae? nam, ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui nouum uicinum non uult fodere, aut arare, aut aliquid ferre, denique; non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret: sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.

E X P L A N A T I O



QUIBUSDAM § Hortensio, & ijs, qui se rebus forensibus deuouerant. QUIDAM autem § inter quos Aquillius, & Gallus. ERUNT etiam, & ij quidem § uelut A. Albinus, quem, quod res Romanas Graeca oratione scripserit, apud Agellium reprehendit Cato. TERENCE-
TIANVS Chremes § in Heautontimorumeno.

CICERO

Is igitur est difficilium satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. in quibus hoc primum est, in quo admirer; cur in grauissimis rebus non delectet eos patrius sermo, cum ydem fabellas Latinas, ad uerbam de Graecis expressas, non inuiti legant? quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuui spernat, aut rejiciat? qui se ipsidem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas literas oderit? Synephebos ego, inquit, potius Caecilij, aut Andriam Terentij, quam utramque Menandri legam? A quibus tam dissentio, ut, cum Sophocles, uel optime scripserit, Electram tamen male conuersam Atilij mihi legendam patem, de quo Licinius, Ferreus scriptorem: uerum, opinor: scriptorem tamen, ut legendus sit. rudem enim esse omnino in nostris poetis, aut inertissimae seignitiae est, aut fastidij delicatissimi. mihi quidem nulli satis eruditi uidentur, quibus nostra ignota sunt. an,

Vtinam ne in nemore,
nihil minus legimus, quam hoc idem Graecum: quae autem de bene beateq. uiuendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? Quod si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae

dicta sunt ab ijs, quos probamus; eisq. nostrum iudicium, & nostrum scribendi ordinem adiungimus: quid habet, cur Graeca anteponant ijs, quae & splendide dicta sint, neque sint conuersa de Graecis? nam si dicerent ab illis has res esse tractatas: ne ipsos quidem Graecos est cur tam multos legant, quam legendi sunt. quid enim est a Chrysippo praetermissum in Stoicis? legimus tamē Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium, multos alios, in primisq. familiarem nostrum Posidonium. quid Theophrastus? mediocriter ne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? quid Epicurei? non desistunt de ipsidem, de quibus & ab Epicuro scriptum est, & ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? quod si Graeci leguntur a Graecis, ipsidem de rebus alia ratione compositis: quid est, cur nostri a nostris non legantur? Quamquam, si plane sic uerterem Platonem, aut Aristotelem, ut uerterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de meis ciuibus si ad eorum cognitionem diuina illa ingenia transfere, sed id neque feci adhuc; nec mihi tamen, ne faciam in irridictum puto: locos quidem quosdam, si uidebitur, transferam, & maxime ab ijs, quos modo nominauimus, cum incidit, ut id apte fieri possit: ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet.

EXPLANATIO

Is igitur est difficilium satisfacere, & Hinc oritur pathetice. ENNIJ Medeam, & Tragoedia est Ennij ex Euripide uersa, cuius fragmenta quaedam exstant. ANTIOPAM Pacuuij & Tragoedia est Euripidis a M. Pacuui uersa. Fuit Antiopae Orithyae Amazonum reginae foror. SYNEPHEBOS & id est, copulabens. Comoedia est Menandri, a Caecilio uersa, quam & in primo de Natura deorum citat, duos Iambicos referens. ANDRIAM & Nota est comoedia, quam etiam Caecilius uertit ex Menandro. MALE conuersam & si orationem spectes. Nam, si proprietatem, bene uerterat M. Atilius. LICINIUS & poeta lepidissimus Imbrex uocatus. VTINAM ne in nemore, & Principium est uersus Enniani in Medea. FAMILIAREM nostrum Posidonium. & praepceptorem uocat in libello de fato, & primo de Nat. deorum.

CICERO

Nec uero, ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant. utinam ille Persius, Scipio uero, & Rutilius multo etiā magis: quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait se, & Consentinis, & Siculis scribere. facite is quidem, sicut alias: sed nec tam docti tunc erant, ad quorum iudicium elaboraret; & sunt illius scripta leuora; ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris, ego autem quem timeam lectorum, cum ad te, ne Graecis quidem cedentem in philosophia, audeam scribere? quamquam a te ipso id quidem facio prouocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de uirtute misisti. Sed ex eo credo quibusdam usu uenire, ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quaedam, & horrida, de malis Graeci Latine scripta deterius. Quibus ego assentiar, dummodo a se de ipsidem rebus ne Graecos quidem legendos putent. res uero bonas, uerbis electis, grauiter, ornateq. dictatas, quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici uelit: ut a Scaeuola est praetore salutatus Athenis Albutius. quae quidem locum cum multa uenustate, & omni sale idem Lucilius: apud quem praeculare Scaeuola: Graecum te, Albuti, quam Romanum, atque Sabinum,

Municipem Pontij, Titij, Annij, centurionum, Praeclarorum hominum, ac primorum, significumq. Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis, Id quod maluisti, te, cum ad me accedi, saluto: Xa se inquam Tite. Lectores omnesq., cohortesq., Xa se Hinc hostis Mucij Albutius, hinc inimicus. Sed iure Mucius: ego autem satis mirari non queo, unde hoc sit tā insolens domesticarum rerum fastidium. non est omnino hic docendi locus: sed ita sentio, & saepe differui; Latinā linguā non modo non inopē, ut uulgo putarent, sed locupletiorē ēē esse, quā Graecā. quando enim uel nobis dicam, aut oratoribus bonis, aut poetis, postea quidem quā fuit quem imitarentur, ullus orationis uel copiosae, uel elegantis ornatus desuit? ego uero, cum forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi uideo praesidium; in quo a populo R. locatus sum; de eo profecto, quantumcumq. possim, in eo quoque laborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores ciues mei; nec cum istis tantopere pugnare, qui Graeca legere malint, modo legant illa ipsa, nec simulent; & ijs seruire, qui uel utriusque litteris uti uelint, uel si suas habent, illas non magno opere desiderant.

EXPLA-

EXPLANATIO

PERSIVS, § C. Persius, litterarum cum uocat in lib. de cl. orat. **SCIPRO** § Africanus maior, quem mirum in modum laudat in lib. de cl. orat. **RUTILIUS** § Hunc quoque adducit Cicero in libro de cl. orat. **ALBUCIUS** § is est T. Albucius, quem Mucius Scaeuola augur repetundarum accusauit. **MUNICIPEM** § Turnebus legit Municipem, Ponti, Tritanni centurionum. **SIGNIFERVMQVE**, § genitui pluralis est. **LICTORES**, omnesq. cohors $\chi\alpha\iota\pi\epsilon$. § Quae proxime antecedunt uerba, ex persona Scaeuolae sunt: haec autem, Lictores omnesq. cohorsq. $\chi\alpha\iota\pi\epsilon$, ab ipso Lucilio pronunciantur: cum dicat, post Scaeuolae uerba lictores eiusdem, cohortemq. praetoriam, quo magis Graeca salutatione Albucius eluderetur, exclamasse simul omnes praetoris exemplo, $\chi\alpha\iota\pi\epsilon$. Erat autem hoc tempore adolescens Alburius: de quo sic in Bruto: Doctus etiã Graecis T. Albucius, uel potius paene Graecus? loquor ut opinor: sed licet ex orationibus iudicare, fuit autem Athenis adolescens. Eundẽ in oratione de prouincijs cons. Graecum hominem, non quod in Graecia natus, sed quod Athenis educatus, Cicero appellat, his uerbis: Cuius amici hac consolatione utuntur, etiam T. Albutio supplicationem hunc ordinem denegasse. quod est primum dissimile, res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis a propraetore una cohorte auxiliaria gesta, & bellum cum maximis Syriae gentibus, tyrannis, consulare exercitu, imperioq. confectum. deinde Albucius, quod a senatu petebat, ipse sibi in Sardinia ante decreuerat. constabat enim Graecum hominem, ac leuem, in ipsa prouincia quasi triumphasse. itaque hanc eius temeritatem senatus, supplicatione denegata, notauit. Haec adiungenda existimaui, quo pateret illustrius, praetorem non Albucium, ut a nonnullis creditum est, sed Scaeuolam fuisse: cum Albucius, & adolescens Athenis, & propraetor in Sardinia, non in Achaia fuerit, Scaeuola autem hic praetor sit appellatus, cum dixit Cicero, A Scaeuola est praetore salutat Athenis Albucius. Nec dubito, quin praetor Scaeuola, & a Cicero ne, & a Lucilio appelletur, non quod praetutam gerens in prouinciam exierit, quod antea saepe factum erat bellis urgentibus, sed quod propraetor Achaiam regeret, itaque & Cicero praetorem Quinctum, fratrem suum, uocat, qui tamen, praetura iam in urbe functus, Asiam propraetor administrabat. Idem Scaeuola lib. 1. de Orat. Cum, inquit, ego praetor Romam uenissem. Hic est enim Q. Mucius augur gener C. Laelij, focer L. Craffi oratoris, accusatus postea repetundarum ab hoc Albucio, ut legitur in Bruto, quam accusationem spectauit Lucilius poeta in illo uersu:

Hinc hostis Mucij Albucius, hinc inimicus.

Vixit eodem tempore alter Q. Mucius: sed is pontifex max. non augur fuit, collega L. Craffi in consulatu, Aetiaq. rexit menses nouem. ep. 17. lib. v. ad Att. & lib. 111. de orat. & ep. 9. lib. 1. fam. Haec Paullus pater, **SED iure Mucius**: § Huius meminit Cicero in lib. de cl. orat. Albucium ridebat, qui, cum Romanus esset, Graecus dici uellet.

CICERO

QVI autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent: quod & scripta multa sunt, sic, ut plura nemini e nostris; & scribentur fortasse plura, si uita suppetet: & tamen, qui diligenter haec, quae de philosophia literis mandamus, legere assueuerit, iudicabit, nulla ad legendum his esse potiora. quid est enim in uita tantopere quaerendum, quam cum omnia in philosophia, tum id, quod his libris quaeritur, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene uiuendi, recteque faciendi consilia referenda, quid sequatur natura ut summum ex rebus expetendis, quid fugiat ut extremum malorum? qua de re cum sit inter doctissimos magna dissensio; quis alienum putet eius esse dignitatis, quam mibi quisque tribuit, quid in omni munere uitae optimum, & uerissimum sit, exquirere? an, partus ancillae sit ne in fructu habendus, dissteretur inter principes ciuitatis, P. Scaeuolam, M. Manilium; ab hi: q. M.

Brutus dissentiet; quod & acutum genus est, & ad usus ciuium non inutile; nosq. ea scripta, reliquaq. eiusdem generis, & legimus libenter, & legemus: haec, quae uitam continent omnem, negligentur & nam, ut sint illa uendibiliora, haec uberiora certe sunt. quamquam id quidem licet ijs existimare, qui legerint. Nos autem hanc omnem quaestionem de finibus bonorum, & malorum fere a nobis explicatã esse ijs litteris arbitramur, in quibus, quantum potuimus, nõ modo quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, persecuti sumus. Ut autem a facillimis ordiamur, prima ueniat in medium Epicuri ratio, quae plerisque notissima est: quam a nobis sic intelliges expositam, ut ab ijs ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari. uerum enim inuenire uolumus, non tamquam aduersarium aliquem conuincere.

EXPLANATIO

QUOD his libris quaeritur, § ratio tituli librorum de finibus hinc ea esse uidetur, quod ad eundem finem bonorum omnia officia referantur.

CICERO

ACCURATE autem quondam a L. Torquato, homine omni doctrina erudito, defensa est Epicuri sententia de uoluptate: a meq. ei responsum, cum C. Triarius, in primis grauis, & doctus adolescens, ei disputationi interesset. nam, cum ad me in Cumanum, salutandi causa, uterque uenisset; pauca primo inter nos de litteris, quarum summum erat in utroque studium; deinde Torquatus, Quoniam nacti te, inquit, surius aliquando otiosum, certe audiam, quid sit, quod Epicurum nostrum non tu quidem oderis, ut fere faciunt qui ab eo dissentiunt, sed certe non probes, eum, quem ego arbitrator unum uidisse uerum, maximisq. erroribus animos hominum liberauisse, & omnia tradidisse, quae pertinent ad bene, beateq. uiuendum. sed existimo te, sicut nostrum Triarium, minus eo delectari, quod ista Platonis, Aristotelis, Theophrasti orationis ornamenta neglexerit. nam illuc quidem adduci nix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non uera uideantur. Vide, quan-

tum, inquam, fallare, Torquate. oratio me istius philosophi offendit: (nam & completitur uerbis, quod uult; & dicit plane, quod intelligam; & tamen a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner; si non habeat, non admodum flagitem) re mihi non aequae satisfacit, & quidem locis pluribus. sed, quot homines, tot sententiae: falli igitur possumus. Quamobrem tandem, inquit, non satisfacit? te enim iudicem aequum puto; modo, quae dicat ille, bene noris. Hic, nisi mihi Phaedrum, inquam, mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audini, cum mihi nihil sane, praeter sedulitatem, probarent; omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt. atque eos, quos nominauit, cum Attico nostro frequenter audini; cum miraretur ille quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret: quotidieq. inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus: neque erat unquam controuersia, quid ego intelligerem, sed quid probarem.

EXPLANATIO

QUOT homines, tot sententiae: § Vide Scholia mea in Sallustij Caulinam.

CICERO

QUID igitur est, inquit? audire enim cupio, quid non probes. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus. Democrito adicit per pauca, mutans, sed ita, ut ea, quae corrigere uult, mihi quidem deprauare uideatur. ille, atomos quas appellat, id est corpora indiuidua, propter soliditatem censet in infinito inani, in quo nec summum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum sit, ita ferri, ut concursuibus inter se cohaerescant; ex quo efficiantur ea, quae sint, quaeq. cernantur, omnia; eumq. motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore, intelligi conuenire. Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur. quamquam utriusque cum multa non probo, tum illud in primis, quod, cum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiantur; alterum, quae uis sit, quae quidque efficiat; de materia differuerunt; uim, & causam efficiendi reliquerunt. sed hoc commune uitium: illae Epicuri propriae ruinae. censet enim, eadem illa indiuidua, & solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam, hunc naturalem esse omnium corporum motum. deinde ibidem

homo acutus; cum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur, & ut dixi, ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere: itaque attulit rem commenticiam: declinare dixit atomum per paulum; quo nihil posset fieri minus: ita effici complexiones, & copulationes, & adhaesiones atomorum inter se: ex quo efficeretur mundus, omnesq. partes mundi, quaeq. in eo essent. Quae cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod uult. nam & ipsa declinatio ad libidinem fingitur: (aut enim declinare atomum sine causa: quo nihil turpius physico, quam fieri sine causa quidquam, dicere) & illum motum, naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis: nec tamen id, cuius causa haec finxerat, assecutus est. nam, siue omnes atomi declinabunt, nullae unquam cohaerescunt; siue aliae suo nutu recte ferentur: primum erit hoc quasi prouincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferentur: deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus haeret, turbulenta concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit.

EXPLANATIO

IN Physicis, § in philosophia naturali. ATOMOS § indiuidua corpora, sensu imperceptibilia. AD lineam, § recte. ITA QVE attulit rem commenticiam: § Suspicio, Itaque, abundare. Haec Paullus pater. QVAM fieri sine causa quidquam, dicere § Haec uidentur abundare, ut otiosa, & sine causa inculcata. id enim turpe physico est, dicere atomum declinare sine causa. hoc per se recte habet, & concinnum est: praeterea si quid addatur, frigebit.

CICERO

NE illud quidem physici est, credere aliquid esse minimum, quod profecto numquam putauisset, si a Polytaeno, familiari suo, geometriam discere maluisset, quam illam etiam ipsum dedoceret. Sol Democrito magnus uidetur, quippe, homini erudito, in geometriaque perfecto: huic bipedalis fortasse. tantum enim esse censet, quantum uidetur, uel paullo aut maiorem, aut minorem. ita, quae mutari, ea corrumpit: quae sequitur, sunt tota Democriti, atque, inane, imagines; quae idola nominant; quorum incurfione non solum uideamus, sed etiam cogitemus. infinitio ipsa, quam ἀπειρος uocant, tota ab illo est: tum innumerabiles mundi, qui & orientantur, & intereant quotidie. quae etsi mihi nullo modo probantur: tamen Democritum, laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum secutus est, nollem uituperatum. Iam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi, ac discerendi, quae ἀγνοια dicitur, iste uelut plane, ut mihi quidem uidetur, inermis, ac nudus est: tollit definitiones: nihil de diuinando, ac partiendo docet: non, quo modo efficiatur, concludaturque, ratio, tradit: non, qua uia captiosa soluantur, ambigua di-

stinguantur, ostendit: iudicia rerum in sensibus ponit quibus si semel aliquid falsi pro uero probatum sit, sublatum esse omne iudicium ueri, & falsi putat. In tertia uero parte, quae est de uita, & moribus, in constitutione finis nil generosum sapit, atque magnificum: confirmat illud uel maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, adsciscat, & reprobet, id est uoluptatem, & dolorem. ad haec, & quae fugiamus, & quae sequamur, refert omnia. quod quamquam Aristippi est, a Cyrenaicisq. melius, liberiusque defenditur: tamen eiusmodi esse iudicio, ut nihil homine uideatur indignius. ad maiora enim quaedam nos natura genuit, & conformauit, ut mihi quidem uidetur. Ac fieri potest, ut errem: sed ita prorsus existimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen inuenerit, aut torquem illum hosti detraxisse, ut aliquam ex eo perciperet corporis uoluptatem; aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Vesperim propter uoluptatem. quod uero securi filium percussisset, priuauisse se etiam uidetur multis uoluptatibus; cum ipsi naturae, patrioque, amori praetulerit ius maiestatis, atque imperij.

EXPLANATIO

QUIPPE, § pro Nec mirum, ut de Fin. lib. IV. EVM Torquatum, § de Officijs.

CICERO

QUID T. Torquatus, is, qui consul cum Cn. Octauius fuit? cum illam seueritatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipauerat, ut eum, Macedonum legatis accusantibus, quod pecunias praetorem in provincia cepisse arguerent, causam apud se dicere iuberet; reque ex utraque parte audita, pronunciarer eum non tale uideri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent; & in conspectum suum uenire uentus; numquid uidetur tibi de uoluptatibus suis cogitauisse? Sed, ut omittam pericula, labores, dolorem etiam, quem optimus quisque pro patria, & pro suis suscipit, ut non modo nullam caperet, sed etiam praetereat omnes uoluptates; dolores denique quosuis suscipere malit, quam deserere ullam officij partem: ad ea, quae hoc non minus declarant, sed uidentur leniora, ueniamus. Quid tibi, Torquate, quid huic Triario litterae, quid historiae, cognitioque, rerum, quid poetarum eulogio, quid tanta tot uersuum memoria uoluptatis afferit?

Nec mihi illud dixeris: haec enim ipsa mihi sunt uoluptati, & erant illa Torquatis. numquam hoc ita defendit Epicurus, neque uero tu, aut quisquam eorum, qui aut sciret aliquid, aut ista didicisset. Et, quod quaeritur saepe, cur tam multi sunt Epicurei: sunt aliae quoque causae: sed multum uidentur hoc maxime allicere, quod ita putat dici ab illo, recta, & honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est uoluptatem: homines optimi non intelligunt, totam rationem euertere, si ita se res habeat. nam, si concederetur, etiam si ad corpus nihil referatur, ista sua sponte & per se esse incunda: per se esset & uirtus, & cognitio rerum, quod minime ille uult, expetenda. Haec igitur Epicuri non probo, inquam: de cetero, uellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructor: (est enim, quod ita tibi uideri necesse est, non satis perlitus uis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur) aut ne deterruisset alios a studijs. quamquam te quidem uideo minime esse deteritum.

EXPLATIO

NVMQVAM hoc ita defendit Epicurus, neque uero tu, § quis est, uel mediocriter intelligens, qui mendosum illud, uero tu, non existimet? cui porro, correctionem quaerenti, sine aliqua librorum ope liceat diuinare? dicam tamen, quod sentio: placeret, Metrodorus, nisi longius a litteris discederem: quod instituti mei non est. Saepè autem cum Epicuro Metrodorus, quasi eius collega, a Cicerone nominatur ut de Fin. lib. I. I. ter, & Tus. I. I. lib. I. de nat. de. bis, & lib. I. II. de off. quibus ex locis, & ex Laertio praeterea, licet intelligere, neminem cum Epicuro aptius, quam Metrodorum, posse coniungi, qui eiusdem adiutor, ac paene auctor fuerit sententiae. Haec Paullus pater Iis artibus, § dialectica, philosophia, & geometria.

CICERO

QVAE cum dixissem, magis ut illum pronocarem, quam ut ipse loquerer; tum Triarius leniter ar-

ridens, Tu quidem, inquit, totum Epicurum patene & philosophorum choro sustulisti. quid enim ei reliquisti, nisi id,

G te,

te, quoquo modo loqueretur, intelligere quid diceret? Aliena dicit in physicis, nec ea ipsa, quae tibi probareretur; sed, si quae in his corrigere uoluit, deteriora fecit. Differendi artem nullam habuit. Voluptatem cum summum bonum diceret, primum in eo ipso parū uidit, deinde hoc quoque alienum: nam ante Aristippus, & ille melius. etenim quasi detractis de homine sensibus. Addidisti ad extremum, etiam indoctum fuisse. Fieri, inquam, o Triari, nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias. quid enim me prohiberet Epicureum esse, si probarem, quae ille

diceret? cum praesertim, illa perdiscere, ludus esset. quamobrem differentium inter se reprehensiones non sunt uituperandae. maledicta, contumeliae, tum iracundiae, contentiones, concertationesq. in disputando pertinaces, indigna mihi philosophia uideri solent. Tunc Torquatus, Prorsus, inquit, assestior. neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia, aut pertinacia recte disputari potest. Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae uelim. An me, inquam, nisi te audire uellem, censeres haec dicturum fuisse?

EXPLANATIO

NISI te quoque, ut id modo loqueretur, & Maffei liber, Quoquo modo, haud prorsus emendate, sed ut uittj tamen nihil paene supersit, nam, una littera immutata, locus restituitur, nempe si sic legis: Nisi te, quoquo modo loqueretur, &c. dicit autem, Quoquo modo loqueretur, ut paene etiam ostendat, ne in uerbis quidem Cicero Epicurum satisfacisse, non modo in sententijs. Haec Paullus pater. **ETENIM** quasi detractis de homine sensibus. & superuacanea sunt haec uerba, neque locum hic habere possunt, nam ex argumentis sunt, quibus probare conabatur Epicurus, uoluptatem esse summum bonum. dicit enim paullo infra: Etenim, quoniam, detractis de homine sensibus, reliqui nihil est, necesse est, quid aut secundum naturam, aut contra sit, a natura ipsa indicari. Maffei liber, Et detractis de homine sensibus, aliud antiquum exemplar, Etenim, quoniam detractis de homine sensibus. ut & ipsa librorum uarietas mendii suspensionem afferat, de quo lectorem admonendum censui: ipsa tamen uerba, uisum est, ut neque mutarem, neque tollerem. Haec Paullus pater.

CICERO

VTRVM igitur percurri omnem Epicuri disciplinam placet, an de una uoluptate quaeri, de qua omne certamen est? Tuo uero id quidem arbitrato. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo, eamq. maximam: de physicis alias: & quidem tibi & declinationem istam atomorum, & magnitudinem solis probabo, & Democriti errata ab Epicuro reprehensa, & correctia permulta, nunc dicam de uoluptate, nihil scilicet noui, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam. Certe, inquam, pertinax non ero: tibi, si mihi probabis ea, quae dices, libenter assentiar. Probabo, inquit; modo ista sis aequitate, quam ostendis: sed uti oratione perpetua malo, quam interrogare, aut interrogari. Ut placet, inquam. Tunc dicere exorsus est. Primum igitur, inquit, agam sic, ut ipsi auctori huius disciplinae placet: constituam, quid, & quale sit id, de quo quaerimus; non quo ignorare nos arbitrer; sed ut ratione, & uia procedat oratio. Quaerimus igitur, quid sit extremum, quid ultimum bonorum. quod omnium philosophorum sententia tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam, hoc Epicurus in uoluptate po-

nit: quod summum bonum esse uult, summumq. malum dolorem: idq. instituit docere sic: Omne animal, simul atque natum sit, uoluptatem appetere, eaq. gaudere, ut summo bono; doloremq. aspernari, ut summum malum, & quantum possit, a se repellere; idq. facere, nondum deprauatum, ipsa natura incorrupte, aut integre iudicat te. itaque negat opus esse ratione, neque disputatione, quamobrem uoluptas expetenda, fugiendus dolor sit: sentiri hoc putat, ut calere ignem, niuem esse albam, dulce mel; quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmare: tantum satis esse admonere: interesse enim inter argumentum, conclusionemq. rationis, & inter mediocrem animaduersionem, atque admonitionem: altera, occulta quaedam, & quasi inuoluta aperiri; altera propta, & aperta indicari: etenim, quoniam, detractis de homine sensibus, reliqui nihil est; necesse est, quid aut secundum naturam, aut contra sit, a natura ipsa indicari: uoluptatem etiam, & per se expetendam esse, & dolorem ipsum per se esse fugiendum: etenim quid percipit, & quid iudicat, quo aut appetat, aut fugiat aliquid, praeter uoluptatem, & dolorem?

CICERO

SVNT autem quidam e nostris, qui haec subtilius uelint tradere, & negant satis esse, quid bonum sit, aut quid malum, sensu iudicari; sed animo etiam, ac ratione intelligi posse, & uoluptatem ipsam per se esse expetendam, & dolorem ipsum per se esse fugiendum: itaque aiunt hanc quasi naturalem, atque insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus.

Alij autem, quibus ego assestior; cum a philosophis compluribus permulta dicuntur, cur nec uoluptas in bonis sit numeranda, nec in malis dolor; non existimant oportere nimium nos causae considerare; sed, & argumentandum, & accurate discernendum, & rationibus conquisitis de uoluptate, & dolore disputandum, putant. Sed, ut perspicatis, unde omnis iste error natus sit uoluptatem accusantium, doloremq. laudantium, to-

tam

tam rem aperiam; eaq. ipsa, quae ab illo inuentore ue-
ritatis, & quasi architecto beatae uitae dicta sunt, ex-
plicabo. Nemo enim ipsam uoluptatem, quia uoluptas
sit, aspernetur, aut oderit, aut fugiat; sed quia conse-
quuntur magni dolores eos, qui ratione uoluptatem se-

qui nesciunt, neque porro quisquam est, qui dolorem
ipsum, quia dolor sit, amet, consecetur, adipisci uelit;
sed quia non numquam eiusmodi incidunt tempora, ut
labore, & dolore magnam aliquam quaerat uolupta-
tem.

EXPLANATIO

INVENTORE ueritatis, § Epicurum indicat. NEMO § Epicurus ep. ad Men.

CICERO

Utenim ad minima ueniam, quis nostrum exerci-
tationem nullam corporis suscipit laboriosam, nisi
ut aliquid ex ea commodi consequatur? quis autem uel
eum iure reprehenderit, quod in ea uoluptate uelit esse,
qua nihil molestiae consequatur? uel illum, qui dolo-
rem eam fugiat, quo uoluptas nulla pariatur? At ue-
ro eos & accusamus, & in suo odio dignissimos ducimus,
qui blanditijs praesentium uoluptatum delentur, atque
corrupti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, oc-
cecati cupiditate non prouident, similia sunt in culpa,
qui officia deserunt mollitia animi, id est laborum, &

dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est, &
expedita distinctio, nam libero tempore, cum soluta
nobis est eligendi optio; cumq. nihil impedit, quo minus
id, quod maxime placeat, facere possimus; omnis uolu-
ptas assumenda est, omnis dolor depellendus: tempori-
bus autem quibusdam, aut officijs debitis, aut rerum ne-
cessitatibus saepe eueniet, ut & uoluptates repudian-
dae sint, & molestiae non recusandae. itaque harum
rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut, reiicien-
dis uoluptatibus, maiores alias consequatur; aut, perse-
rendis doloribus, asperiores repellat.

CICERO

Hanc ego cum teneam sententiam, quid est, cur
uerear, ne ad eam non possim accommodare Tor-
quatos nostros? quos tu paullo ante tam memoriter,
tum etiam erga nos amice, & beneuolae collegisti, nec
me tamen, laudandis maioribus meis, corrupisti, nec se-
gniore ad respondendum reddidisti, quorum facta
quemadmodum, quae so, interpretaris? sicine eos cen-
ses aut in armatum hostem impetum fecisse, aut in libe-
ros, aut in sanguinem suum tam crudeles fuisse, nihil ut
de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent?
at id ne ferre quidem faciunt, ut ita ruant, atque tur-
bentur, ut earum motus & impetus quo perineant,
non intelligamus. tu tam egregios uiros censeres tantas
res gessisse sine causa? quae fuerit causa, mox uidero:
inter ea hoc tenebo; si ob aliquam causam ista, quae si-
ne dubio praeclara sunt, fecerint, uirtutem his per se
ipsam causam non fuisse. Torquem detraxit hosti, &
quidem se texit, ne interiret. At magnum periculum

adiit. in oculis quidem exercitus. Quid ex eo conse-
cutus est? laudem, & caritatem: quae sunt uitae sine
meru degendae praesidia firmissima. Filium morte mul-
tauit. si sine causa, nollem me ab eo ortum, tam impo-
no, tamq. crudeli. sin, ut dolore suo sanciret militaris
imperij disciplinam, exercitumq. in grauissimo bello
animaduersionis metu contineret; saluti prospexit ci-
uium, qua intelligebat contineri suam. Atque haec rati-
o late patet. in quo enim maxime consueuit iactare
uolstra se oratio, tua praesertim, qui studiose antiqua
persequeris, claris, & fortibus uiris commemorandis,
eorumq. factis non emolumento aliquo, sed ipsius hone-
statis decore laudandis; id totum euerit ut eo delectu-
rerum, quem modo dixi, constituto; ut aut uoluptates
omittantur maiorum uoluptatum adipiscendarum causa;
aut dolores suscipiantur maiorum dolorum effu-
giendorum gratia.

CICERO

SED de clarorum hominum factis illustribus, & glo-
riosi satis hoc loco dictum sit. erit enim iam de om-
nium uirtutum cursu ad uoluptatem proprius differen-
di locus. nunc autem explicabo, uoluptas ipsa quae, qua-
lisq. sit; ut tollatur error omnis imperitorum; intelli-
gaturq.; ea, quae uoluptaria, delicata, mollis habeatur
disciplina, quam grauis, quam continens, quam seuera
sit. Non enim hanc solam sequimur, quae suauitate ali-
qua naturam ipsam mouet, & cum uecunditate qua-
dam percipitur sensibus; sed maximam illam uolupta-
tem habemus, quae percipitur omni dolore detracto, na,
quoniam, cum priuamur dolore, ipsa liberatione, & ua-
cuitate omnis molestiae gaudemus; omne autem id, quo

gaudemus, uoluptas est, ut omne id, quo offendimur, do-
lor: doloris omnis priuatio recte nominata est uolu-
ptas. ut enim, cum cibo, & potione fames, sitisq. depul-
sa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert uo-
luptatis: sic in omni re doloris amotio successionem
efficiet uoluptatis. itaque non placuit Epicuro medium
esse quiddam inter dolorem, & uoluptatem: illud enim
ipsum, quod quibusdam medium uidetur, cum omni
dolore caret, non modo uoluptatem esse, uerum etiam
summam uoluptatem. qui quis enim sentit, quemad-
modum sit affectus; eum necesse est aut in uoluptate
esse, aut in dolore. omni autem priuatione doloris
putat Epicurus terminari summam uoluptatem, ut po-



bea uariari uoluptas, distinguiq. possit, augeri, amplifi-
cariq. non possit. At etiam Athenis, ut a patre audie-
bam, facete, & urbane Stoicos irridente, statua est in
Ceramico Chryssippi sedentis porrecta manu, quae ma-
nus significet illum in hac esse rogatiuncula delectatū.
numquidnam manus tua sic affecta, quemadmodum
affecta nunc est, desiderat? nihil sane. at, si uoluptas
esset bonum, desideraret. ita credo. non est igitur uo-
luptas bonum. Hoc ne statuam quidem dicturam pa-
ter aiebat, si loqui posset. conclusum est enim contra Cy-

renaicos satis acute; nihil ad Epicurum. nam si ea sola
uoluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam,
& ad eos cum suauitate afflueret, & illaberetur: nec
manus esse contenta posset ulla uacuitate doloris sine
iucundo motu uoluptatis. sin autem summa uoluptas
est, ut Epicuro placet, nihil dolere: primum tibi recte,
Chryssippe, concessum est, nihil desiderare manum, cum
ita esset affecta; secundum non recte, si uoluptas esset
bonum, si uis desideraturam. iccirco enim non deside-
raret, quia, quod dolore caret, id in uoluptate est.

EXPLANATIO

CUM omni dolore caret, § Maffei liber, Cum omni dolore careret, fortasse, Omni dolore carere, legen-
dum est. et si uideo scriptum paullo post: Quod dolore caret, id in uoluptate est. Haec Paullus pa-
ter. STATUA est in Ceramico Chryssippi sedentis, porrecta manu, quae manus significet illum in hac esse rogatiun-
cula delectatum: § Animaduerti, non numquam ueteres eodem uerbo bis eodem in loco ufos esse, ut,
Eo die, qui dies fuit iv. Kal. & Eo loco, qui locus. Cuius generis exempla & apud hunc nostrum, & apud
Caesarem maxime in eius Commentarijs, non pauca licet inuenire. Eiusdem generis uideri potest hoc,
Porrecta manu, quae manus. Ego tamen, Manus, puto ab aliquo esse additum, qui fortasse uereretur, ne
ad statuam potius, quam ad manum illud, Quae, referretur. Sed, quoniam, utro modo legas, manet ea-
dem sententia; si quis aliter sentiat, cum eo non condemderim. Haec Paullus pater. IN Ceramico: Locus
est Atheniensium, inquit Hesychius, ubi scorta prostituiebantur. Sunt autem duo Ceramici, alter intra
muros, ubi quondam Calcotheus officina fuit: & alter suburbanus, in quo erat statua Chryssippi seden-
tis. huius loci meminit idem Cicero in 2. de legibus. NVMQV ID nam manus tua sic affecta, § Syllogis-
mus est aduersus Cyrenaicos directus, qui medium quiddam inter dolorem, & uoluptatem ponebant.

CICERO

EX TREMVV autem esse bonorum uoluptatem, ex
hoc facile perspicitur. Constituamus aliquem ma-
gnis, multis, perpetuis fructem & animo, & corpore uo-
luptatibus, nullo dolore nec impediente, nec impenden-
te: quem tandem hoc statu aut praestabiliorem, aut ma-
gis expetendum possumus dicere? inesse enim necesse
est in eo, qui ita sit affectus, & firmitatem animi, nec
mortem, nec dolorem timentis; quod mors sensu careat,
dolor in longinquitate leuis, in grauitate breuis soleat
esse; ut eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem
alleuatio consoletur. ad ea cum accedit, ut neque diui-
num numen horreat; nec praeteritas uoluptates efflue-
re patiat; earumq. assidua recordatione laetetur:
quid est, quod huic possit, quod melius sit, accidere? Sta-
tue contra aliquem confectum tantis animi, corporisq.
doloribus, quanti in hominem maximi, cadere possunt;

nulla spe propofita, fore leuius aliquando; nulla prae-
terea nec praesenti, nec expectata uoluptate: quid eo
miserius dici, aut fingi potest? quod si uita doloribus re-
ferri maxime fugienda est: summum profecto malum
est, uiuere cum dolore: cui sententiae consentaneum
est, ultimum esse bonorum, cum uoluptate uiuere. nec
enim habet nostra mens quidquam, ubi consistat tam-
quam in extremo: omnesq. & metus, & aegritudines
ad dolorem referuntur: nec praeterea est res ulla, quae
sua natura aut sollicitare possit, aut frangere. Praete-
rea & appetendi, & refugendi, & omnino rerum ge-
rendarum initia proficiscuntur aut a uoluptate, aut a
dolore, quod cum ita sit; perspicuum est, omnes rectas
res, atque laudabiles eo referri, ut cum uoluptate
uiuatur.

EXPLANATIO

NULLA praeterea nec praesenti, nec expectata uoluptate. § Moneo lectorem, ex ingenio, repositum a
me, Praeterea, pro Praeterita, quod erat in omnibus iibris, quos quidem ego uiderim. hanc mi-
hi Cicero ipse, quo loco infra Torquato responder, correctionem ostendit: cuius uerba recitabo. At
quam, inquit lib. 2. pulchri dicere uidebare, cum ex altera parte ponebas cumulatam aliquem plurimis,
& maximis uoluptatibus, nullo nec praesenti, nec futuro dolore, ex altera autem cruciatibus, maximis
toto corpore, nulla nec adiuncta, nec sperata uoluptate. Haec Paullus pater.

CICERO

QUONIAM autem id est uel summum bonum, uel
ultimum, uel extremum, quod Graeci τέλος nomi-
nant; quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem
res referuntur omnes: fatendum est, summum esse bo-
num,

num, iucunde uiuere. id qui in una uirtute ponunt, & splendore nominis capti, quid natura postulet, non intellegunt; errore maximo, si Epicurum audire uoluerint, liberantur. istae enim uestrae eximiae, pulchraeq. uirtutes nisi uoluptatem efficerent, quis eas aut laudabiles, aut expetendas arbitraretur? ut enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae ualitudinis causa probamus; & gubernatoris ars, quia bene nauigandi rationem habet, utilitate, non arte, laudatur: sic sapientia, quae ars uiuendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret: nunc expetitur, quod est tamquam artis exquirendae, & comparandae uoluptatis. quam autem dicam uoluptatem, iam uidetis; ne inuidia uerbi labefactetur oratio mea. Nam, cum, ignorantia rerum bonarum, & malarum, maxime hominum uita ueretur; ob eamq. errorem, & uoluptatibus maximis saepe priuentur, & prauissimis animi doloribus torquentur: sapientia est adhibenda, quae, & terroribus, cupiditatibusq. detrahit, & omnium falsarum opinionum temeritate direpta, certissimam se nobis ducem praebeat ad uoluptatem. sapientia enim est una, quae maestitiam pellat ex animis; quae nos exhorrescere metu non sinat; qua praeceptrice in tranquillitate uiui po-

test, omnium cupiditatum ardore resincto. cupiditates enim sunt insatiabiles; quae non modo singulos homines, sed uniuersas familias euertunt; totam etiam labefactant saepe temp. ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur. nec haec sese foris solum iactant, nec tantum in alios caeco impetu incurrunt; sed intus etiam in animis inclusae, inter se dissident, atque discordant: ex quo uitam amarissimam necesse est effici, ut sapiens solum, amputata, circumcisaq. inanitate omni, & errore, naturae finibus contentus, sine aegritudine possit, & sine metu uiuere. Quae est enim aut uilior, aut ad bene uiuendum aptior partitio, quam illa, qua est usus Epicurus? qui unum genus posuit earum cupiditatum, quae essent & naturales, & necessariae; alterum, quae naturales essent, nec tamen necessariae; tertium, quae nec naturales, nec necessariae. quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa, nec impensa expleantur. ne naturales quidem multa desiderant: propterea quod ipsa natura diuitias, quibus contenta est, & parables, & terminatas habet. inanium autem cupiditatum nec modus ullus, nec finis inueniri potest.

CICERO

QVOD si uitam omnem uideamus perturbari errore, & inscitia, sapientiamq. esse solam, quae nos a libidinum impetu, & formidinum terrore uindicet, & ipsius fortunae modice ferre doceat iniurias, & omnes monstrerit uias, quae ad quietem, & tranquillitatem ferant: quid est, cur dubitemus dicere, & sapientiam propter uoluptatem expetendam, & insipientiam propter molestias esse fugiendam? Eademq. ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia pacem animis afferat, & eos quasi concordia quadam placet, ac leniat. temperantia est enim, quae in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem ut sequamur, monet. nec enim satis est iudicare, quid faciendum, non faciendum ue sit; sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum. plerique autem, quod tenere, atque seruare id, quod stauerunt, non possunt; uel, & debilitati, obiecta specie uoluptatis, tradunt se libidibus constringendos, nec, quid prouenturum sit, prouident; ob eamq. causam, propter uoluptatem & parnam, & non necessariam, & quae uel aliter pararetur, & qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt; saepe etiam legum, iudiciorumq. poenis obligantur, qui autem ita frui uolunt uoluptatibus, ut nulli propter eas dolores consequantur; & qui suum iudicium retinent, ne uoluptate uicti faciant id, quod sentiunt non esse sa-

ciendum: hi uoluptatem maximam adipiscuntur praetermittenda uoluptate: idem etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intelligitur, intemperantiam propter se fugiendam esse, temperantiamq. expetendam, non quia uoluptates fugiat, sed quia maiores consequatur. Eadem fortitudinis ratio reperietur. nam neque laborum perfunctio, neque perperisio dolorum per se ipsa allicit, nec patientia, nec assiduitas, nec uigiliae, nec ea ipsa, quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem: sed ista sequimur, ut sine cura, metuq. uiuamus, animumque, & corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. ut enim mortis metu omnis quietae uitae status perturbatur; & ut, succumbere doloribus, eosq. humili animo, imbecilloq. ferre, miserum est; ob eamq. debilitatem animi, multi parentes, multi amicos, non nulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt: sic robustus animus, & excelsus omni est liber cura, & angore; cum & mortem contemnit; qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua ante quam nati; & ad dolores ita paratus est, ut meminerit maximos morte finire, paruos multa habere interualla quietis, mediocrium uos esse dominos; ut, si tolerabiles sint, feramus; si minus, aequo animo e uita, cum ea non placeat, tamquam e theatro exeamus.

CICERO

QVIBVS rebus intelligitur, nec timiditatem, ignauiamq. uituperari, nec fortitudinem, patientiamq. laudari suo nomine; sed illas reijci, quia dolorem pariant; has optari, quia uoluptatem. Iustitia restat, ut de omni uirtute sit dictum, sed similia fere dici possunt.

ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum uoluptate, ut ab ea nullo modo nec diuelli, nec distrahi possint: sic de iustitia iudicandum est: quae non modo nunquam nocet cuiquam, sed contra semper alit aliquid tum ui sua, atque natura, quod tran-

tranquillet animos; tum spe, nihil earum rerum defu-
turum, quas natura deprauata desiderat quemadmo-
dum temeritas, & libido, & ignavia semper animum
excruciant, & semper sollicitant, turbulentaq. sunt: sic
cuius in monte consedit, hoc ipso, quod adest, turbulen-
ta non potest fieri: & si uero impetras molitiam quippiam
est, quamuis occulte se cerio, nimirum tandem confidet
id fore semper occultum: plerumque improbram facta
primo suspicio inquitur, deinde sermo, atque fama,
tum accusator, tum iudex: multi etiam, ac te consule, ip-
si se indicauerunt, quod si qui satis opibus hominum si-
bi contra conscientiam facti esse, & muneri uidentur;
deorum tamen numen horrent, & atque ipsas sollicitudi-
nes, quibus eorum animi nocles atque dies exciduntur,
a diis immortalibus supplicii causa impetrari putant.
quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas ui-
uae molestias accessio fieri potest, quanta ad augendas
tum conscientia factorum, tum poenalogum, odioq. ci-
uium? & tamen in quibusdam neque pecuniae modus
est, neque honoris, neque imperij, nec libidinum, nec opu-
larum, nec reliquarum cupiditatum: quas nulla prae-
da unquam improbe parua minuit, sed auget potius,

atque inflammatis: ut coetendi magis, quam dedocendi
esse uideantur. inuitat igitur uera ratio bene sanos ad
iustitiam, ac quietam fidem: neque homini infanti, at-
que impotenti iniuste facta conducunt; qui nec facile
efficere possit, quod conetur; nec obtinere, si effecerit:
& opes uel fortunae, uel in cuius liberalitati magis con-
ueniunt; qua qui utuntur, bene uolentiam sibi conci-
liant, & quod optissimum est ad quiete uiuendum, cari-
tatem, praesertim cum omnino nulla sit causa peccandi:
quae enim cupiditates a natura proficiuntur, facili-
ter expleantur sine ulla iniuria: quae autem inanes sunt,
his parendum non est: nihil enim desiderabile concipi-
unt; plusq. in ipsa iniuria detrimenti est, quam in
iis rebus emolumentum, quae iniuria pariantur. itaque
ne iustitiam quidem recte quis dixerit per se ipsam op-
tabilem, sed quia iucunditatis uel plurimum afferat.
nam, diligere, & carum esse, iucundum est, propterea
quia tutiorem uitam, & uoluptatum efficit pleniorum.
itaque non ob ea solum incommoda, quae ueniunt im-
probis, fugiendam improbitatem putamus, sed multo
etiam magis, quod, cuius in animo uersatur, numquam
sinit cum respirare, numquam acquiescere.

EXPLANATIO

NATURA deprauata desiderat. § Octavius Paetagathus legendum putat: Natura desiderat. impro-
bitas uero, quemadmodum. Quae mihi non placet opinio. tantum in uerbo, Deprauata, tollendo.
CONSEDIT, § Iustitia, FIERI. § ea mens. Ferri, legerem. Et si uero molitia quippiam est, § Et si uero im-
pietas molitia &c. antiquus liber.

CICERO

QUOD si ne ipsarum quidem uirtutum laus, in qua
maxime ceterorum philosophorum exsultat ora-
tio, reperire potest exitum, nisi dirigatur ad uolu-
ptatem; uel uoluptas autem est sola, quae nos uocet ad se, &
alliciat suapte natura: non potest esse dubium, quin
id sit summum, atque extremum bonorum omnium, bea-
tieq. uiuere nihil aliud sit, nisi cum uoluptate uiuere.
Huic certae, stabiliq. sententiae quae sint conuenientia,
explicabo breui. Nullus in ipsis error est finibus bono-
rum, & malorum, id est in uoluptate, aut in dolore: sed
in his rebus peccant, cum, & quibus haec efficiantur,
ignorant, animi autem uoluptates, & dolores nasci fate-
mur e corporis uoluptatibus, & doloribus. itaque con-
cedo, quod modo dicebas, cadere causa, si qui e nostris
aliter existiment: quos quidem uideo esse multos, sed
imperitos. quamquam autem & laetitiam nobis uolu-
ptas animi, & molestiam dolor afferat: eorum tamen
utrumque & ortum esse e corpore, & ad corpus referri,
nec ob eam causam non multo maiores esse & uolu-
ptates, & dolores animi, quam corporis. nam corpore nihil,
nisi praesens, & quod adest, sentire possumus: ani-
mo autem & praeterita, & futura. ut enim aequae do-

leamus animo, cum corpore doleamus: fieri tamen per-
magna accessio potest, si aliquid aeternum, & infinitum
impendere malum nobis opinemur. quod idem licet
transferre in uoluptatem, ut ea maior sit, si nihil tale
metuamus. Iam, illud quidem perspicuum est, maxi-
mam animi aut uoluptatem, aut molestiam plus aut ad
beatam, aut ad miseram uitam afferre momenti, quam
eorum utriusuis, si aequae diuisi in corpore. non placet
autem, de re astra uoluptate, acritudinem statim con-
sequi, nisi in uoluptatis locum dolor forte secesserit: ut
contra, gaudere nosmet omittendis doloribus, etiam si
uoluptas ea, quae sensum moueat, nulla successerit, eo
intelligi potest, quanta uoluptas non dolere, sit, sed, ut
is bonis erigimur, quae exspectamus: sic letamur is,
quae recordamur. stulti autem malorum memoria tor-
quentur: sapientes bona praeterita, grata recorda-
tione renouata, delectant. est autem situm in nobis,
ut & aduersa quasi perpetua oblivione obrutemur, &
secunda iucunde ac suauiter meminerimus. sed, cum ea,
quae praeterierunt, acri animo & attento inuenimus,
tunc fit, ut acritudo sequatur, si illa mala sint; laeti-
tia, si bona.

EXPLANATIO

REFERRI, § hoc puto respicere uerbum, Faremur.

C I C E R O

O PAECLARAM beate uiuendi, & apertam, & simplicem, & directam uiam. cum enim certe nihil homini possit melius esse, quam uacare omni dolore, & molestia, perfruiq. maximis & animi, & corporis uoluptatibus: uidetis ne, quam nihil praetermittatur, quod uitam adiuuet, quo facilius id, quod propositum est, sum mum bonum consequamur? Clamat Epicurus, is, quem uos nimis uoluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde uiui, nisi sapienter, honeste, iusteque uiuatur; nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. Neque enim ciuitas in seditione beata esse potest, nec in discordia dominorum domus, quo minus animus a se ipse distans, secumque discordans gustare partem ullam liquidae uoluptatis, & liberae potest, atqui pugnantibus, et contrarijs studijs, consilijsq. semper utens, nihil quieti uidere, nihil tranquilli potest, quod si corporis grauioribus morbis uitae iucunditas impeditur: quanto magis animi morbis impedi non esse? animi autem mor-

bi sunt cupiditates immensae, & inanes, diuitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam uoluptatum. accedunt aegritudines, molestiae, maerores, qui animos exedunt, conficiuntque curis hominum non intelligentium, nihil dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis praesenti, futuro ue seiunctum. nec uero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat. nemo igitur est non miser. Accedit etiam mors: quae quasi saxum Tantalos semper impendet: tum superstitio: qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest. praeterea bona praeterita non meminerint, praesentibus non fruuntur, futura modo expectant: quae quia certa esse non possunt, conficiuntur & angore, & metu; maximeque cruciantur, cum sero sentiunt, frustra se aut pecuniae studuisse, aut imperijs, aut opibus, aut gloriae. nullas enim sequuntur uoluptates; quarum potiendi spe inflammati, multos labores, magnosque susceperant.

C I C E R O

ECCO alij minuti, & angusti, aut omnia semper desperantes, aut maleuoli, inuidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstrofi, alij autem etiam amatorijs leuitatibus dediti, alij petulantes, alij audaces, proterui, iidem intemperantes, & ignaui, numquam in sententia permanentes. quas ob causas in eorum uita nulla est inter capedo molestiae. Igitur neque stultorum quisquam beatus, neque sapientum non beatus. multoque hoc melius nos, ueriusque quam Stoici. Illi enim negant bonum quidquam esse, nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine: uirtutem autem, uixam hoc honesto, nullam requirere uoluptatem, atque ad beate uiuendum se ipsa esse contentam. Sed possunt haec quadam ratione dici, non modo non repugnantibus, uerum etiam approbantibus no-

bis: sic enim ab Epicuro sapiens beatus semper inducitur: finitas habet cupiditates: negligit mortem: de dijs immortalibus sine ullo metu uera sentit: non dubitat, si ita melius sit, de uita migrare: his rebus instructus semper in uoluptate est: neque enim tempus est ullum, quod non plus habeat uoluptatum, quam dolorum. nam & praeterita grate meminit, & praesentibus ita potitur, ut animaduerat, quanta sint ea, quamque iucunda; neque pendet ex futuris, sed expectat illa, fruitor praesentibus; ab hisque nihil, quae paulo ante collegi, abest plurimum; & cum stultorum uitam cum sua comparat, magna afficitur uoluptate: dolores autem, si qui incurrunt, numquam uim uim tantam habent, ut non plus habeat sapiens, quod gaudeat, quam quod angatur.

C I C E R O

OPTIME uero Epicurus, quod exiguam dicit fortunam interuenire sapienti, maximasque ab eo, & grauissimas res consilio ipsius, & ratione administrari, nec maiorem uoluptatem ex infinito tempore et aetate percipi posse, quam ex hoc percipiatur, quod uideamus esse finitum. In dialectica autem uestra nullam uim existimauit esse nec ad melius uiuendum, nec ad commodius disserendum. In physicis quidem, cum plurimum possint, ea scientia, & uerborum uis, & natura orationis, & consequentium, repugnantium ue ratio potest perspicere. omnium autem rerum natura cognita, leuatur superstitio, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoracione rerum; e qua ipsa horribiles existunt saepe formidines: denique etiam morati melius erimus, cum didicerimus, quae natura desideret: tum uero, si stabilem scientiam eorum tenebimus; seruata illa, quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum diriguntur, num-

quam ullius oratione uicti sentia desistemus. nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo modo poterimus summum iudicia defendere. quidquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus. quasi omnes ueri erunt, ut Epicuri ratio docet: tum denique poterit aliquid cognosci, & percipi. quos qui tollunt, & nihil posse percipi dicunt; remotis sensibus, ne id ipsum quidem expedire possunt, quod differunt. praeterea, sublata cognitione, & scientia, tollitur omnis ratio & uitae degendae, & rerum gerendarum. Sic e physicis & fortitudo sumitur contra mortis timorem, & constantia contra metum religionis, & sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoracione sublata; & moderatio, natura cupiditatem, generisq. earum explicatis; & ut modo docui, cognitionis regula, & iudicio ab eadem illa constituto, ueri a falso distinctio traditur. Restat locus huic disputationi uel maxime necessarius, de amicitia: quam, si uoluptas summum sit bonum, affirmatis nullam omni-



no fore. de qua Epicurus quidem ita dicit: omnium rerum, quas ad beate uiuendum sapientia comparauerit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius, neque uero hoc oratione solum, sed multo magis uita, & factis, & moribus comprobauit. quod quam magnum sit, fide ac ueterum fabulae declarant. in qui-

bus tam multis, tamq. uarijs, ab ultima antiquitate repperitis, tria uix amicorum paria reperiuntur; ut ad Orestem peruenias, profectus a Theseo. at uero Epicurus una in domo, & ea quidem angusta, quam magnos, quantaq. amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges? quod fit etiam nunc ab Epicureis.

EXPLANATIO

SERVATA illa, quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium, regula, & sensuum scilicet cognitione, ex qua uniuersa cognitio, iudicio Epicuri, pendeat: TRIA uix amicorum paria reperiuntur; Nota illa sunt, Theseus, & Pirithous; Damon, & Pithias, Orestes, & Pilades.

CICERO

SED ad rem redeamus: de omnibus dici non necesse est. Tribus igitur modis uideo esse a nostris de amicitia disputatum. Alij, cum eas uoluptates, quae ad amicos pertinerent, negarent esse per se ipsas tam expectandas, quam nostras expeteremus; quo loco uideretur quibusdam stabilitas amicitiae uacillare; tumentur tamen eum locum, seq. facile, ut mihi uideretur, expediunt. ut enim uirtutes, de quibus ante dictum est, sic amicitiam negant a uoluptate posse discedere. nam, cum solitudo, & uita sine amicis, insidiarum, & motus plena sit; ratio ipsa monet amicitias comparare: quibus partis, confirmatur animus, & a spe parandarum uoluptatum seiungi non potest. atque, ut odia, inuidiae, despiciationes aduersantur uoluptatibus: sic amicitiae non modo fauorices fidelissimae, sed etiam effluuantes sunt uoluptatum tam amicis, quam sibi: quibus non solum praesentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis, ac posteritatis temporis. quod quia nullo modo sine amicitia firmam, & perpetuam iucunditatem uitae tenere possumus; neque uero ipsam amicitiam trahi, nisi aequae amicos, & nosmet ipsos diligamus: ideo & hoc ipsum efficitur in amicitia; & amicitia cum uoluptate connectitur. nam & lactarum amicorum lactitia aequae ac nostra; & pariter dolemus angoribus. quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum; quosq. labores propter suam uoluptatem susceperit, eosdem suscipiet propter amici uoluptatem, quae-

que de uirtutibus dicta sunt, quemadmodum haec semper uoluptatibus inhaerent; eadem de amicitia dicenda sunt. praclare enim Epicurus his paene uerbis: & eadem, inquit, scientia confirmauit animum, ne quod aut sempiternum, aut diuturnum timeret malum; quae per se exiit, in hoc ipso uitae spatio amicitiae praesidium esse firmissimum. Sunt autem quidam Epicurei timidiores paulo contra uestra conuicia, sed tamen satis acuti; qui uerentur, ne, si amicitiam propter nostram uoluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare uideatur: itaque primos congressus, copulationesq. consuetudinum, instituendarum amicitiarum, fieri propter uoluptates: cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amore efflorescere tandem; ut, etiam si nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. etenim, si loca, si sana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicra, exercendi, aut nenadi consuetudine, adamare solemus: quanto id in hominum consuetudine facilius fieri poterit. & iustius? Sunt autem, qui dicunt, foedus quoddam esse sapientium, ut ne minus amicos, quam se ipsos, diligant. quod & fieri posse intelligimus: & saepe id uidemus: & perspicuum est, nihil ad iucunde uiuendum reperiri posse, quod coniunctione tali sit aptius. Quibus ex omnibus iudicari potest, non modo non impediri rationem amicitiae, si summum bonum in uoluptate ponatur; sed sine hoc institutionem amicitiae omnino non posse reperiri.

EXPLANATIO

QVOD quia nullo modo & uideo mendum: & opinor non inepte locum corrigi, si legatur, Quodq. nullo modo. Haec Paullus pater.

CICERO

QVAPROPTER, si ea, quae dixi, sole ipso illustriora, & clariora sunt; si omnia dixi hausta e fonte naturae; si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat, id est incorruptis, atque integris testibus; si infantes pueri, si mutae etiam bestiae paene loquuntur, magistra, ac duce natura, nihil esse prosperum, nisi uoluptatem, nihil asperum, nisi doioem; de quibus neque deprauata iudicant, neque corrupte: non ne ei maximam gratiam habere debemus, qui, ex audita quasi uoce naturae, sic eam firme, grauiusq. comprehenderit, ut omnes bene sanos in uia placatae, tranquillae, quietae, beatae uitae deduceret? Qui quod tibi parum uidetur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quae beatam uitam disciplinam iuuaret. an ille tem-

pus aut in poetis euoluendis, ut ego, & Triarius, te hortatore, fecimus, consumeret; in quibus nulla solida uirtus, omnisq. puerilis delectatio: aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris, astris contereret? quae & a falsis initijs profecta, uera esse non possunt; & si essent uera, nihil afferrent, quo iucundius, id est, quo melius uiueremus, eas ergo artes persequeretur; uinendi arte tantam, tamq. operosam, & perinde fructuosam, relinqueret? non ergo Epicurus incruditus, sed y indoctus, qui quae pueros non didicisse turpe est, ea putent usq. ad senectutem esse discenda. Quae cum dixisset, Explicauit, inquit, sententiam meam, & eo quidem consilio, tum iudicium ut cognoscerem, quae mihi facultas: ut id meo arbitratu fierem, ante hoc tempus nunquam est data.



I N
M . TVLLII . CICERONIS
D E . FINIBVS
BONORVM . ET . MALORVM

L I B R V M . II .

Commentarius Aldi Mannuccij.



E X P L I C A T I O

C I C E R O



HIC CVM uterque me intue-
retur, se seq. ad audendum si-
gnificarent paratos, primū, in
quam cleprecor, ne me, tāquā
philosophū, putetis scholā no-
bis aliquā explicaturū: quod
ne in ipsis quidem philosophis
magnopere unquā probaui.

quando enim Socrates, qui
parens philosophiæ iure dici potest, quidquam tale fe-
cit: eorum erat iste mos, qui tum sophistæ nominaban-
tur: quorum e numero primus est ausus Leontinus
Gorgias in conuentu postere quaestionem, id est inbere
dicere, qua de re quis uellet audire. audax negotium: di-
cerem, impudens, nisi hoc institutum postea transla-
tum ad philosophos nostros esset. sed & illum, quem
nominauit, & ceteros sophistas, ut e Platone intelli-
gi

potest, lutos uidemus a Socrate. is enim percunctan-
do, atque interrogando elicere solebat eorum opi-
niones, quibuscum differebat; ut ad ea, quae ij re-
spondissent, si quid uideretur, diceret. qui mos cum
a posterioribus non esset retentus, Arcefilas eum
reuocauit, instituitq., ut ij, qui se audire uellent,
non de se quaerent, sed ipsi dicerent, quid senti-
rent. quod cum dixissent, ille contra. sed qui audie-
bant, quoad poterant defendebant sententiam suam:
apud ceteros autem philosophos, qui quæsiuit ali-
quid, tacet. quod quidem iam fit etiam in Acade-
mia. ubi enim is, qui audire uult, ita dixit; uolu-
ptas mihi uidetur esse summum bonum: perpetua ora-
tione contra disputatur: ut facile intelligi possit, eos,
qui aliquid sibi uideri dicant, non ipsos in ea sententia
esse, sed audire uelle contraria.

E X P L A N A T I O

SOPHISTAE ξ ἀπὸ τοῦ σοφῶν dicti, hoc est sapientes. nunc abiit nomen in rem plane ridicu-
lum. ARCESILAS ξ Hunc Cicero in plerisque locis citat, & auctorem facit nouae Aca-
demiae, nihil affirmantis.

H C I C E R O